



The Holy See

***DICHIARAZIONE COMUNE
DELLA CHIESA CATTOLICA
E DELLA COMUNIONE ANGLICANA***

Giovedì, 24 marzo 1966

Monastero di San Paolo presso la Basilica Ostiense

Hac in urbe Roma, unde a Sancto Gregorio PP. I missus est in Angliam Sanctus Augustinus, conditor Sedis Cantuariensis, quam omnes, qui nunc sunt, Anglicani quasi centrum suae Communionis christianae habent, Sanctissimus Dominus Paulus PP. VI et Reverendissimus et Honoratissimus Dominus Michael Ramsey, Archiepiscopus Cantuariensis, Communionis Anglicanae gerens personam, inter se convenerunt, ut fraterno animo salutem sibi impertirent.

Cuius congressionis in fine Deo omnipotenti gratias agunt, quod, Spiritu Sancto afflante, per hos annos proxime elapsos novus sensus christiane fraternitatis inter Ecclesiam Catholicam Romanam et Ecclesias Communionis Anglicanae est exortus.

Eadem congressione, die XXIII mensis Martii anno MCMLXVI habita, novus quidam efficitur gradus pertinens ad progressionem fraternae necessitudinis rationum, in christiana caritate innixarum, atque sincerorum conatum, quibus obstacula, perfectam communionem ecclesiasticam impediunt, superentur.

Praecepto igitur Christi Domini obtemperare cupientes, qui discipulis suis mandavit, ut se invicem diligenter, declarant se in sinu Dei miserentissimi, eiusdem ope, ea cuncta deponere, quae huic praecepto caritatis praeteritis temporibus sunt refragata, et ad mentem Apostoli se accommodare, qui dixit: «Quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu» (*Phil. 3, 13-14*).

Edicunt se exoptare, ut fideles utriusque Communionis eodem sensu reverentiae, bonae existimationis, amoris fraterni ducantur. Quam mutuam necessitudinem fovere ac provehere

volentes, proponunt, ut inter Ecclesiam Catholicam Romanam et Communionem Anglicanam sedulo instituantur colloquia, quorum veluti fundamenta sint Evangelium et antiquae Traditiones utrisque communes, quaeque ad illam unitatem pro qua Christus oravit, in veritate perducant.

Colloquia illa non solum argumenta theologica comprehendent, veluti Sacram Scripturam, Traditionem, Liturgiam, sed etiam res illas, quae in vitae usu seu praxi ex utraque parte difficultates habent. Paulus PP. VI ac Archiepiscopus Cantuariensis noverunt quidem gravia obstacula, quae impediunt, ne perfecta communio fidei et vitae sacramentalis restituatur; nihilominus consentientes studiose agere constituunt, ut ex utraque Communione alteri alteros cum auctoritate attingant circa ea omnia, ad vitam ecclesiam spectantia, in quibus mutua opera apta sit ad consensionem et caritatem augendam, atque coniti, ut universae illae graves quaestiones solvantur, quae in mundo nostrae aetatis in Christum credentibus occurrunt.

Hac mutua opera, adjuvante Dei Patris gratia et Sancti Spiritus lumine, citius ad effectum deducatur precatio Domini Nostri Iesu Christi, qua pro unitate discipulorum suorum oravit, et hac progressionem, quae fit ad unitatem, pax in humana consortione roboretur, quam solum concedere potest is, qui donat pacem, «quae exsuperat omnem sensum»; haec vero pax una cum Benedictione Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum omnibus hominibus maneat semper.

Apud S. Paulum extra moenia, die 24 Martii 1966.